





ARDINI
Naz ionale
Fir enze



AMASEI
VATICINIUM
S.L.
1499


GU
Biblio
Cent











VATICINIVM QVO PRAEDICITVR VNIVERSVM ORBEM TERRARVM CHRISTIANAE RELIGIONIS IMPERIVM SVBITVRVM

* * * *

* * *

*



HIERONYMI Amasei Vtinensis Bononia oriundi Poetæ, & Philosophi Poema ad Accursium Maineriũ Auenionensem Iureconsultum Clarissimum, & Ludouici Christianissimi Gallorum Regis Apud Venetos Oratorem Facundissimum.

VSq; adeo ancipiti titubãt præcordia cura,
Tam diuersa meo uolitant simulacra cerebro,
Vt tot imaginibus, rerũq; agitata figuris
Vix sibi mens constet. Modo nam sententia surgit,
Et iuuat æternam mihi quærere carmine famam.
Eu ehor o quoties, uideorque audire minores
De me magna loqui, nostræque applaudere musæ.
Tunc mihi consurgunt cristæ, tunc laurea cingunt
Serta caput, tunc te spernentem fulmina laure
Osculor, atque tuæ ueneramur frondis honores,
Laure o delitium phœbi & dulcissima cura,
Atq; nouenarum spes unica laure sororum,
Militiæ summumq; decus, te nanq; potiri
Laure triumphantes tantum potuere Quirites.
Cæsaribus facis esse pares tu laure poetas.
O furor, ipse mihi sic blandior, omnia de me
Vt mihi pollicear, tanta dulcedine nostri
Afficimur cantus, tantum mea scripta placent mi.
Præcipue insinuant cum se mihi Phœbus & Euan,
Et gemino accendunt œstro, mortalia membra
Exuere, atq; hominem reor, & non uoce sonare

Amplius humana, mensisq; accedere diuum,
Nec mihi diuitiæ, nec sunt diademata curæ.
Quin age (mira fides,) subsidere terra uidetur,
Et mare fluctiuagum, uideor iamq; aere in ipso,
Famæ intrasse domos, captareq; murmura famæ.
Parte alia uaria occurrunt incommoda uitæ,
Nanq; angusta premunt patrimonia, cogimur artes
Exercere nouas, aut mendicare poetæ.
proh pudor o mores o ferrea tempora, diues
Ingenium admirans, & dia poemata, tantum
Laudibus indulget, magniq; imitator Homeri
Diceris, Andini datur aut tibi gloria plectri,
Immemor & locuples studii, uigilisq; lucernæ,
Vexatæq; diu mentis, nihil usq; mouetur,
Nec tibi succurrit quanquam bene nouit egentem,
Sæpius & ueteris compellat nomine Codri.
Si quicq̄ exposcas submissior, utq; coactus,
Impulsusq; fame, te spectans lumine toruo
Nil dat, & oceano fit surdior ille furenti.
Pœnitet hinc sacros toties hausisse liquores,
Et lauru cinxisse comas, tum tempora uittis,
Atq; corymbifera crines ornasse corona.
Hinc iræ, hinc odium musarum, hinc tædia Nysæ
Cirrhæiq; iugi, phœbusq; inuisus, & Euan.
Franguntur calami, pereunt & carmina flammis,
Tantaq; diuini subito monumenta laboris
Obruit irati sæua inclememtia uatis,
pertæsum toties est tanti nominis, ut se

Præcones malint quam dici forte poetas,
Quam tolerare famem, paupertatisq; labores.
Candida quid ueterum modo conquerar ocia uatum?
Felicesq; dies, quantoq; elatus honore est
Scipiadum in tumulis dum conditur Ennius altis.
Quamue hilari Augustus suscepit fronte Maronem,
Hospiciumque dedit uati, atq; indulsit Alexim,
Pascua qui uacuus curis prælusit & arua,
Afflatusq; deo mox protulit arma uirumq;.
Hunc & Mecœnas uenusini cultor oloris
Fouit, & est gemino sublatus in æthera cantu,
Quid referam Fabios? quid Cottas? quid Proculeios?
Atq; alios, doctas qui prouexere camœnas?
Deficeret nos ipse dies, si plura petamus
Exempla, & prisci nota indulgentia sæcli est.
Sed Ducibus nostris hac tempestate poesis
Despecta, & ronchis, rigidisq; excepta cachinnis
Fugit, & arcanas petiit pudibunda latebras,
Indoluitq; simul tristes miserata poetas,
Vt maria, ut terras marcescere uidit inerti
Desidia, & pigro gentes torpere ueterno,
Vidit & angusti contentos limite regni
Reges in plumis uilescere Sardanapali,
Nec famæ accendi stimulis & nobilis ocii,
Dum iuuat obscœnas uitia exercere per artes,
Tam uarios luxus non Helius ille Gabalus
Commentusq; suo tot blandimenta palato est
Quot uidet hæc ætas scrutarier atria regum.

Lenonum turbæ, Mimis, ſcelerumq; miniſtris
Regia tota patet, delatorumq; Triſulcæ
Permulcent linguæ generoſi Principis aures,
Nullus quippe bonis locus eſt, migrate poetæ,
Non Mecœnates occurrunt fronte ſerena,
Nullus & Auguſtus, liquere palatia muſæ,
Et regum thalamos, nulli iam carmina curæ,
Nullus Apollinea ſplendeſcit nummus in arca.
Nec tantum ſacri patiuntur talia uates,
Sed quoq; pauperiem queritur durosq; labores
Quiſquis quæ uulgo non intellecta reuoluit,
Libera quæ perſtant terrenæ pondere molis,
Quæ non lucra parant, animo ſed grata ſeuero
Aut ſaturant mentem ambroſia, uel nectare dulci,
Noſcere nam ſeſe eſt epulas guſtare deorum.
Quiq; patrem rerum trinum ſcrutatur & unum,
Myſticaq; inſpectat diuini dogmata Moſis,
Quiſquis & ætherias mentes ſacrosq; receſſus
Rimatur ſophiæ, longoq; examine cauſas
Naturæ explorat, dehinc cuncta elementa pererrans,
Quo corrumpantur generentur & omnia motu,
Et qui ſtelliferum late circūſpicit orbem,
Gaudet & æternas ſignorum noſcere leges,
Deliquium lunæ, & tectum ferrugine ſolem,
Cæleſtesque plagas, labentiaque aſtra, Polosq;
Et quodcūq; iubar cæli miratur & axes.
Necnon qui puro perſtringit lumine mentis
Vnum cur numeri ſit finis, fons, & origo,

Fœmina dicatur cur par, cur masculus impar,
Vnde incrementum decrementumque resultet.
Centrum, lineola, & quid planum, quidue profundum,
Angulus, & quid sit quadratum, quidue rotundum.
Quicquid & Euclides metitur mille figuris.
Qui tenet immensi quæ sit concordia mundi,
Quæ bona temperies sit corporis atq; animai
Quidue melos uariis quod pangitur instrumentis,
Dum cantu, aut pulsu, dum mulcet flatibus aures.
Deniq; qui sacræ sese in penetralia mentis
Colligit, & uerum rationibus eruit altis
Despiciens uani studium incurabile uulgi
Nudus inops quoties stomacho languente famescit,
Scilicet expectas ad cœnam ut forte uocetur
Principis? atq; illi facilem dux præbeat aurem
Miratus genium, & spirantia corda Mineruam?
Non equidem nostro tanta est clementia sæclo,
Qui tantũ excipimus quodq; utile, quodq; necessum est,
Hinc igitur Medicis locus est iurisq; peritis,
Qui sæpe exclamant, dat sanctio cæsariana,
Datq; Galenus opes, paleas sed cætera præstant.
Ergo ego quid faciam? quid uatum uana morantur
Somnia me ambiguum, furor est non cedere uero.
Vox populi, uox certa Dei est, ergo ocyus eia,
Incipiam medicam meme exercere per artem.
Hippocratisq; colam medicinæ oracula coi,
Teq; Galene sequar, Pauliq; uolumina uoluam,
Tuq; Auicenna meis manibus uersabere semper,

Vosque alii quorum medicina est aucta labore.
Inspiciamq; genus morbi, causasq; latentes,
Et uarios casus atque experimenta notabo,
Diuersisq; modis ægris medicamina miscens,
Atq; salutiferis componens pocula succis
Curabo infestis languentia corpora morbis,
Conabor reducem morienti reddere uitam,
Et quicquid medicum decet experiemur ad unguem.
Hinc sperare licet censum, populiq; fauorem,
Diuitibus medicis magni referuntur honores,
Monstrantur digito, locupletes dicitur hi sunt.
Despicimur uates, totaq; explodimur urbe,
Vt genus ignauum, ualeant iam deniq; musæ,
Vsq; & in exitium dulces, nec pectora uanis
Iam mea sollicitent curis œstroque furenti.
Has postquam effudi contracta fronte querelas
Accurrit nobis accursius omine fausto.
Quem genuit clara quondam Auenionis in urbe
Inclyta Maineriæ Gulielmus gloria gentis,
Interpres legum nostro celeberrimus æuo,
Et iubar æternum iuris columenq; perenne,
Quem puerum Herculea cum uidit fronte fugantem
Sponte uoluptatem uirtus sibi fecit alumnum,
Septem perq; gradus studiorum duxit, & artes
Altius ingenuas tenera in præcordia misit,
Indidit & sacrum dogma, & ciuilia iura,
Qua duce Gallorum sancta in penetralia regum
Ocyus accitus summo in discrimine rerum.

Sæpe palatinas cœpit defendere causas
Magno in consilio Regis, quem maximus armis
Carolus octauus miro dilexit amore
Ob subitam in rebus titubantibus ingenii uim,
Quo narbonensis prouincia iudice gaudet
Sextiacas ad aquas populis quia iura ministrans
Iudicibus præstet reliquis uelut Aeacus alter,
Quem quoq; & augusta rex maiestate uerendus
Bellorum pacisq; potens Ludouicus amico
Lumine respiciens mox belli cum duce montis
Polgniaco armorum rutilanti fulmine iano
Oratum ad Venetos ut firment fœdera misit.
Qui postquam excepti patefacta principis aula,
Effariq; datum est, Accursi in pectore Pallas,
In membris charites, Sirenq; in gutture sedit.
Obstupuere patres, faciles Dux inclytus aures
Præbuit, & sacro responsum protulit ore,
Inde Deum supplex trinum testatus & unum
Crudeles fidei pia fœdera sanxit in hostes
Principis Augusti Numen sanctusque Senatus.
Ad diuerticulum sed Calliopea redito,
Nam si fata dabunt hæc & maiora canemus.
Lacteus eloquii fons, Perfugiumq; poesis
Dulce & Amasææ decus & spes maxima musæ,
Accurrit nobis Accursius, atq; ita fatur.
Cur mentem exagitant turbæ? cur pessima uulgi
Consuetudo placet lucriq; insana libido?
Improbe cur diuas potuisti expellere musas?

Quas immissa Ioui concepit nocte nouena,
Postq; nouem menses tenues effudit in auras
Mnemosyne. Auricomusque sibi coniunxit Apollo,
Vt mulcere deos & mundi uiscera posset
Cantibus alternis, uariasque agitare choreas
Per iuga parnasi semperq; uirentia tempe.
Liberaque excoleret studia, eueheretque poesim
Semideumque genus, uates, inferret olympo,
Insereretq; globis astrorum, animisque potentum
Heroum æquaret, cœlo quos inclyta facta,
Pacatæque urbes, prostrataq́; monstra tulere.
Quid tibi Aristotelis prosunt, quid dicta Platonis
Quos sequeris? dubitas ne famem, si respicis ipsam
Naturam? quæ parua petit, contentaque paruo est.
Cæcus inops inter scopulos (Verum auspice Phœbo)
Iliadem atque ithaci ambages cantauit Homerus,
Atque in pistrino lusit sua carmina Plautus.
Si quæris laudes, satis est sibi conscia uirtus,
Se spectans propriisque bonis bonus Hercule gaudet,
Irridetque uices sortis, mediumque tuetur.
Olim etiam pauci paucos coluere poetas,
Clarum &.n. rarum est, & uatum turba minuta
Non fuit in pretio, picasque odere loquaces,
Proque suis ausos aliorum ostendere lusus,
Qui merito elusi subiere opprobria corui,
Quem Iunonis aues ubi conspexere superbis
Centoculi Pennis incedere condecoratum,
Inuasere truci rostroque, atque unguibus uncis,

Membraque nudarunt nitido pauonis amictu,
Riserunt Phœbi uolucres, fugit ille, latetque,
In lucem plumis donec prodiret obortis.
Legulei & Medici, & temeraria Causidicorum
Turba ostentat opes, loculi sed uera fatentur,
Angustique lares, & census summa pusilli,
Lucrarique uides insignes, quique fauente
Fortuna præclarum aliquid gessere merendo.
Ocia lucrantur Vates spirare canendo
Altius assueti, & uicturum condere carmen.
Ferrea quod clames modo tempora, & ocia regum
Marcida, quod scelerum uigeat genus omne per orbem,
Quodque ducum insidiæ & luxus præcordia uexent,
Regnet & in terris sitis insatiabilis auri,
Edomitasque regat gentes fucata Voluptas,
Cedo equidem, nam uera canis, sed uindice digna.
Huc igitur mentem aduertas, atque auribus audi.
Cum iam peruentum est summa ad fastigia rerum
Naturæ ratus ordo iubet mox cedere retro,
Hoc rota fortunæ docet hoc sol aureus imos
Dum petit Antipodas roseos rediturus ad ortus,
Hinc Deus aspiciens nutantem erroribus orbem
Heroum accendit mentes, atque impulit ultro
Deferrent omnes Ludouico ut Gallica regna.
Corde sedens medio sapientia uincere primum
QVem docuit sese, melius quo cætera uincat,
Militiæ numeros absoluere fecit & omnis,
Discere & a puero, quæ Chiron iussit Achillem,

Currere,uenari,pugnasq; agitare feroces,
Cuncta pati,& uariis sese obiectare periclis,
Vt foret & belli fulmen,Christiq; tueri
Posset ab hoste fidem semper uictricibus armis.
Qui postquam accepit sceptrum & diadema,repente
Concipit ingentes animos,maiorq; uideri
Gaudet,& herculeas iam uersat mente columnas,
Monstraq; perdomita, Alcidæque æquare labores
Fert animus,certatq; sequi uestigia magni
Caroli,& infestas terris auertere pestes,
Tot scelerum facies,totq; instrumenta malorum,
Et maumetæas ardet iam perdere gentes,
Turcarumq; genus,persas,celeresq; gelonos,
Prodigiisque orbem pacatum reddere cæsis.
Cui primum Veneti tanto in molimine rerum
Occurrere animo,& cordis subiere recessus,
Quorum consiliis,atque auxiliaribus armis
Iam sibi parthenopæ,atque insubrum debita sceptra
Subderet,& lapsis posset succurrere rebus.
Nouerat hic &.n. Veneti quam sancta Senatus
Consilia extiterint semper,tum mente tenebat
Quantus amor ueri,quanta & reuerentia recti,
Et quanta in cunctis semper prudentia rebus,
Et quanta in subitis fuerit præstantia,quantum
Huius in aduerso uirtus interrita Marte,
Quam sit uasta mari,quam magna potentia terris,
Et quoties bello fidei superauerit hostes,
Labentemq; fidem quoties erexerit armis,

Quamq; bonis faueant uitii genus omne perosi
Inclytus Augustus princeps, sanctusq; Senatus.
perpetua hinc igitur Ludouicus fœdera iunxit
Cum Venetis, teneris coluit quos semper ab annis,
Inter quos utinam perstet concordia longis
Temporibus, semperq; fides, astræaq; Virgo
Imperet, atq; æqua currat res bellica lance.
Fex hominum subito nanq; a radicibus imis
Excisa interitum pateretur, & ocia terris
Læta forent, nobis præstarent mutua diui
Colloquia, ut tenero phama est, atque orbe recenti.
Non ne uides quanto succedant cuncta fauore?
Et quæ cura deum sit fandi, quæ ue nephandi.
Sfortia lernæo corruperat Hydra ueneno,
Aequoraq;, & terras, centenaq; uerterat ora
In cælum, frustraq; Iouem, superosq; petebat,
Quam modo terribili Ludouicus robore clauæ
Herculeæ aggressus, turba capitumq; recisa
Vertice uix uno fugientem compulit antra
Quærere, & in duras penitus sese abdere cautes.
Sed peiora manent alios, Turcæq; fugaces,
Tractari, & assyrii & pharii expectate ruinam.
En Veneti immisti gallis naualibus instant
præsidiis, turcasque fugant toto aequore naues.
Eia age (quid dubitas?) surge, & maioribus ausis
Vtere, gorgonea cur te non proluis unda
largius? & toto non hauris pectore phœbum?
Delitiæ humani generis, summumque leuamen

Dulce q; perfugium sophiæ, tetricæq; Mineruæ,
Qui fouet ingenuas artes hominumq; labores
prouehit egregios, stimulisq; incendit honorum
Præmia uirtuti statuens, semperq; poetas,
Atq; oratores summo complexus amore est
Pellæi de more ducis, qui semper habebat
Hos quondam in castris accensus murmure famæ.
Rex age Gallorum ludouicus numinis instar
Te placido excipiet uultu, propriisq; fouebit
Seruatum auspiciis, sacroq; afflauerit ore.
Et dabit ingenio uires, dabit ocia Vati
Qualia Mecœnas FLacco Augustusq; Maroni.
Me duce tuta uia est, sequere, & mea iussa capesse.
Quid stas? en propera ge mino munimine fultus
Eloquii & sophiæ, bella ecce ingentia bella
Arma tibi grauiore tuba nunc ecce canendum est.

VATICINIVM

Hæc ubi Mainerius facundo protulit ore,
Tunc ego tantarum uoluens exordia rerum,
Gallorum quantumq; forent fælicia signa,
Perdomitumq; ducem Insubrum uix marte cruéto,
Et captas urbes sine cæde, & uulnere Gallis,
Et mecum repetens hinc atq; hinc altius omnes
Et Veneti uires & fortia gesta Senatus,
Totque etiam exuuias, tot partaq; ab hoste trophæa
Vnanimes Venetis dum uidit Gallia reges,
Nec non sponte sua subeuntem sceptra Cremonam
Principis Augusti, quo non sapientior alter

Effulsit Venetis aut dux præstantior unquam,
Quiq; magis fuerit pietatis cultor & æqui,
Imperium aut iustis qui tantum extenderit armis.
Castraq; nunc castris, classemq; assistere classi,
Arma armisq; uidens, telis sociataq; tela,
Iunctaq; tormentis tormenta, imitantiaq; aera
Fulguraque & tonitrus, deiectaque fulmina cælo,
Et quam fœcundo certatim sidera nexu
Iungere se accingant post uictum protinus orbem.
Diræ ubi iam facies, extinctaque monstra iacebunt,
Respiciensque pii quæ prædixere prophetæ,
Et quæ fatidicæ quondam cecinere sibyllæ
Exultans tantisque bonis sic ora resolui.
Surge age Alexander, Christi qui Iura ministras,
Illiusq; uices geris, & cælestia regna,
Cui reserare datum, Petro duce, & auspice Paulo
Christicolas hortare tuos, pastorq; labantes
Erige oues, iustoq; uelis succurrere bello,
Stareq; cum nequeant hominum sine numine uires,
Auersoq; deo cum sit labor omnis inanis,
Tecum age centenis effundant uota Sacellis,
Et pia tura crement, pileo qui tempora rubro,
Purpureoq; tegunt sacrum uelamine corpus,
Nutantem ut sistant uirtutum cardine mundum,
Pompaq; linigeri procedat candida cleri,
Iamq; faces uexilla Dei tum signa ferantur
Diuorum, sacrisq; tubis circunsonet æther,
Et capite abraso distinctas tegmine sectas

Ire sacerdotum iubeas, laudesq; Tonantis
Iam canere alternis, rogitareq; numina diuum,
Vt placidi faueant, uatumq; oracula firment
Gallorum, & Venetum socialia signa tuentes.
Perge age Alexander, redeat cum maximus annus
Iubilaq; & ueniæ iam tempora sancta propinquent,
Quando adaperta tua cælestis ianua dextra
promptius humano generi pia iura uolenti
Seruare, & fasso sua crimina sponte patebit,
purgati incipient, & libertate potiri
Qui fuerant Sathanæ constricti colla cathenis.
Et quæ sulphureis lustrantur ab ignibus orci
Absterſis animæ maculis mox æthera lætæ
Conscendent, summiq; boni iam luce fruentur.
Hæc ego dum canerem uenetam peruenit in urbem
Borges cardinei decus ordinis, inque Senatu
Mella senis pylii fundens, ithaciq; procellas
Sponte duci Augusto diuinæ legis in hostes
Auxilium pater alme tuum, uimque obtulit omnem
Annue sancte parens, opus est maioribus uti
Auspiciis, clarosque parat fortuna triumphos,
Virtutique duci comitem sese addidit ultro.
Cernere nam uideor terraq; mariq; potentes
Iam Venetos Gallis immistos marte secundo
Hellespontiacas penitus perfringere fauces
Bizantiiq; urbem subito molimine captam
Gaudentem fidei sub pristina iura reuerti.
Et domitam bello, atque undantem sanguine thracen
Aspico,

Aſpicio, Aemoniamq; premi, ſubdique ſuperbos
E mathiæ populos, quos quondam exhorruit orbis
Principe Alexandro, Bactros qui uicit & indos.
QVIq; habitant delphos, & phocidis arua frequentant,
Aoniamq; colunt, dilectaq; mœnia Baccho,
Cephiſique bibunt undas, laticesq; Aganippes
Arcadiam, ægialonq; tenent ditesq; Mycenas
Aegæoq; mari diſperſas Cycladas altas
Sub iuga iam uenient, & Chriſti ſigna ſequentur
Sponte ſua locri, Aetoliq; & fortis Acarnan,
Regnaq; qui pelopis, bimarem quique incolit Iſthmon
Pars magna epiri, & reliquum latus illyricorum,
Et quondam ſophiæ ſtudiis inſignis & armis
Attica Barbaricos mores, Turcasq; peroſa
Exultat, penitusq; cupit ſocialia ſceptra.
Et Biſſena Aſiæ dedent ſe regna minoris
Pontus, Cappadoces, Cilices, ditesque Bithyni,
Paphlagones, lydi, lytii, & Pamphylidis urbes,
Cariaq; & phrygia & magnæ ueſtigia Troiæ,
Quas alit Ionia & quas utraque Myſia gentes.
Deniq; quicquid habet Baiſettus, quicquid & olim
Turcarum rabies ſæuis oppreſſerat armis
Riphæis effuſa iugis arctoq; rigenti,
Totaque Othomani ſoboles & dira propago
Perfidaq; & diuum contemptrix edita ab imis
Eumenidum Thalamis ferro excindetur & igni,
Tartareumq; chaos furiarum impulſa flagellis
Mox petet in præceps nunquam reditura ſub auras.

Parta ubi de ſcythicis ſed erit uictoria Turcis
Impiger & magnis animis magnoque paratu,
Proq; fide Eoas ibit Ludouicus in oras,
Soldanumque armis aggreſſus & impete uaſto
Mox ſacras redimet Solymas, Sanctumque Sepulchrū,
Caluariæque locum, & Templum Solomonis iniquo
Seruitio eripiet Regis populiq; nephandi,
Cunctaque ſeruabit paſſi loca myſtica Chriſti,
Et Natale ſolum Bethilen, Galilæaque culta,
Hierici irriguas ualles palmisq; uirentes,
Samariam, Tamnam, antiquamq; capeſſet Ioppen,
Et Ditem arbuſtis palmarum ſubdet Idumen.
Lætitia exultans placidis ſeſe exeret undis
Iordanis, mollique rigans aſpergine ripas
Militibus lætis applaudet murmure aquai.
Hinc petet Aegyptum, & Pharias ubi cœperit urbes
Memphim & Pyramides tumulum miratus Amaſis,
Aſſyriam intrabit, ueteri & Babylone recepta
Mercibus Eois Habilem ſine cæde Damaſcum
Imperio adiiciet, Nabathæaq; regna ſubinde
Atque Arabum populos uincet mollesque Sabæos.
Armenios, Perſas, Medos, Parthosque fugaces
Mox ſua fræna pati compellet fulmine belli.
Poſtq; graues pugnas, totque inclyta regna ſubacta
Pulchrior & reliquis fœcundior India terris,
Hunc læto accipiet gremio, milesque potitus
Fertilibus campis, populisque exceptus ab Indis
Iucundo Hoſpitio mox inſtaurare beato

Membra cibo incipiet, propriasque resumere uires.
Dumq; nouum ferient fœdus, Prestanque parabit
Arma armis Ianus signisque adiungere signa
Interea Libycas late populabitur urbes
Extremæ Hesperiæ Rex Ferdinandus Elisæ
Reginæ studiis & relligionis amore
Concitus, hinc regnum debellabitq; Thuneti,
Gauisusque altas Byrsæ uidisse ruinas
Prosternet numidas, rapientque mapalia flammæ.
Et qua surgit Atlas tum uertice sidera pulsat
Contundet Mauros ardenti Sole perustos,
Lothophagosque suis ubi iam compresserit armis,
Asbystis leges imponet rite colonis.
Hinc Nasamoniaci spectans monumenta tonantis
Ridebit ueterum ritus uanosque labores.
Indeque Marmaridæ, Getuli, tum Garamantes
Sidonii, Blemii, atq; incocti corpora erembi
Ethiopesq; omnes ultro pia iura subibunt.
Gorgadas hinc adiens uiset Phorcynidos antra,
Elysiosq; petet campos, atque arua beata,
Hortosque hesperidum & refluos mirabitur æstus.
Hæc inter uasto Bacchabitur æquore classis
Siqua ignota prius sese efferat insula lustrans.
Postque triumphatas gentes ingentia dona
Suspendenda Tholo mittet Solomonis in urbem,
Debita ut ætherio persoluat uota tonanti.
Tum uero ex omni contracto milite regno,
Innumerisq; ducum coeuntibus undiq; signis

Indorum instabit Prestan, diuosq; precatus
Vsq; ad Hyperboreas cautes, rhiphæaque saxa,
Et scythiæ indomitos populos tot regibus olim
Fœlices acies subito penetrare iubebit.
Indica mox igitur transgressi regna potentes
Occiduiq; indiq; duces arctoa subibunt
Frigora, & irrumpent ingenti turbine belli
In scythicas gentes, debaccatæque cohortes
Per nemora ense prement carpentes uellera seres,
Cathauiq; Vrbem euertent, Regemq; superbum
(QVem magnum dixere Canem) Regisq; necabunt
Progeniem, atque nouem Reges, nanq; ille nouena
Comprimit Imperio (ut phama est) pulcherrima regna.
Massagetasq; truces sternent uolucresq; Gelonos
Frustra dum fugient saturatos sanguine Equino:
Inde Sacas, Moschos, Arimaspos gryphibus hostes
Cadusios, Bactros, Albanos, hostia caspi
Quiq; tenent ponti, Tesqua aut Hyrcana pererrant,
Inuadent, multaq; hominum iam strage peracta
Cogentur sacræ fidei præcepta tueri.
Hæc & Hyperborei sponte Attacoriq; capessent.
Parte alia Armipotens surget Germania Christi
Defensura fidem, populosq; in bella ciebit,
Heluetiiq; ruent, Cimbri, extremiq; Britanni.
Indeq; Pannoniæ rex inuictissimus Acres
Pannonas inducet fortes & ad arma Boemos.
Hincq; Polemonii, Daci, & Gens martia Rhoxi
Commistis equitum turmis, peditumque cateruis

Aggressi fodient, detrudent, conficientque
Cimmerios. Chalybes, Tauros, sæuosque Tataros,
Eniochos, Zygios, Sindos, Hunnos, & Alanos
Sauromatas, Colchos, Basternas. denique & omneis
Quique bibunt Tanaim intrantem Mœotidis undas,
QVique extrema colunt Glacialis littora ponti
Assilient, dedentque neci, spes nullaque uitæ
Tunc fuerit, nisi quis sacris lustrabitur undis,
Atque libens capiet Legis monumenta supernæ.
At postquam terras uictor pacauerit omnes
Almificamque fidem totus susceperit orbis
Auspice Alexandro, Venetoque fauente Senatu,
Ipse Triumphali redimitus tempora lauro
Frondentemque gerens ramum Ludouicus oliuæ
Et ducibus lætis & ouantibus undique septus
Militibus Gallis, Venetis, indisque uirenti
Velatis olea, sacrosque canentibus hymnos,
Mox repetet Solymas pacati debita mundi
Vota soluturus superi tibi Rector olympi.
Interea Victæ Gentes pia dona ferentes
Vndique conuenient Sanctam Solomonis in Aedem.
Christicolæque fluent uariis e partibus orbis
Sacram urbem & tantos cupidi spectare Triumphos.
Inde Ludouicus sanctissimus induperator
Cum domini templum instaurarit diuite gaza,
Noctes atque dies solemnia sacra iubebit
Concelebrare choros, Nabathæaque tura frequentes
Accensis adolere focis, diuosque precari.

Ipse Deum supplex trinum ueneratus & unum
Lætus aget grates, & munera magna tonanti
Offeret e Spoliis hostilibus, inque uetusti
Rapta trophæa ducum suspendet culmine templi.
Deuotasq; preces sacro de pectore fundens
Diuorumq; hominumque patrem promissa rogabit
Vt bona iam terris cælo demittat ab alto,
Aurea quo toto consurgunt sæcula mundo.
Tum uero innumeris extollent laudibus omnes
Hunc populi edomiti tot fortia facta canendo,
Et grates superis tentabunt reddere dignas.
Hoc duce quod Sathanæ uestigia cæca dolosi
Respuerint demum Christi uexilla secuti,
Quo duce & impietas expulsa, atq; obruta tandem
Hæc Maumetææ fuerint ludibria sectæ,
Dirutaq; exciderint Idola nefanda Deorum.
Communemque patrem & dominum saluere iubebūt,
Quo duce libertas, pax, & læta ocia terris
Reddita mox fuerint extinctis undique monstris.
Te quoque Alexander tanti Gregis optime Pastor
Illustremque ducem Augustum, Venetumq; Senatum
Laudabunt læta ferientes sidera uoce,
Quorum consilio & signis socialibus ultro
Tot bona contulerit uictum Ludouicus in orbem,
Tum Pater omnipotens uotis precibusq; Beati
Induperatoris commotus ab Aethere summo
Aurea iam toto demittet sæcula mundo.
Angeliciq; chori, diuum sanctæq; cohortes

Incipient cælo delabi & uisere gentes,
Affariq; homines coram, auxiliisq; fouere.
Sol iubare augusto atq; aspectu Sidera læto
Aspicient terras, & rorem purior Aer
Arboribusque satisq; fauens disperget in agros,
Non mare turbabunt uenti fluctusque ciebunt.
Terra ferax paruo fundet sua munera cultu,
Omnia iam largo diffundet copia cornu.
Non genus humanum uexabunt horrida bella,
Non scelus, & rerum stimulabit dira Cupido,
Et curæ insomnes fugient & tristis egestas,
Et metus, & fraudes, luxusque, & luctus acerbus,
Inuidia, & uarii morbi, pestesque recedent.
Omne malum sedes Erebi trudetur in imas,
Omne bonum ætherio tandem descendet olympo.
Inter mortales regnabit & inclyta uirtus,
Et tantum integritas uitæ, spes, alma fidesque
Iustitia & pietatis amor, charitasque uigebit
Et timor insuperos. Reuerentia tanta Tonantis
Tantaque in humanis fuerit concordia rebus,
Tantaq; felicem iam gaudia sparsa per orbem,
Induperatoris Ludouici tantus honorum
Iam cumulus triplicis iam gloria tanta coronæ,
Vt mihi si totidem linguæ sint oraque circum
Quot quondam Inachidos gestabat lumina custos
Aerea uis lato uigeatque in pectore uocis,
Non ausim seriem tantarum expromere rerum.
Felices igitur quos hæc in tempora tandem

Viuere fata uolent, pacataq; regna uidere,
Felices inquam quibus aurea sæcula surgent,
Affariq; datum diuos, diuumq; potiri
Posse bonis, uesci Ambrosiaq; & nectare diuum.,
O me felicem, fuerit si uita superstes,
Altisono æternos contexam carmine honores
Nam Ludouice tuos, totq; ardua facta canemus.
O ego ter fœlix Vates, si denique possim
Militibus lætis populoq; immistus ouanti
Rite triumphantem te nostro attollere cantu
Induperatorem mundi, mundique parentem.
Et quoq; nunc fœlix, fuerit si nostra camœna
Grata tibi, sanctoq; aderis mihi numine dexter,
Auspiciisq; tuis fœlicem ducere uitam
Si liceat, ueterumque mihi dabis ocia uatum,
Tunc uacuus curis Andinum accendere cornu,
Mœoniaq; tuba sacrum spirare canorem
Tentabo, paruoq; prius decurrere campo,
Assuescamq; tuas paulatim dicere laudes.
Post magis atq; magis cœlesti concitus œstro
Altius orsa canam uenturaq; sæcula mundo.

Finis

*

Deo * *Gratias*



*

Amen

*

M.CCCCLXXXXVIIII.DIE.XX.Septembris.

